



**G**eorgius Spet à Sultzberg ex nobili familiâ natus, & honeste educatus fuit. Erat is corporis & animi dotibus egregie ornatus. Itaque adole-scens adhuc Cæsarî castra secutus fuit. In ijs magna miliâ laudem comparauit, & aliquoties ordines duxit. In primis uero contra Turcam in Vngariam profectus, res sibi cōmissas strenue peregit. Par i ratione anno 1546 in bello Smalkaldi-co Cæsari adfuit, & eius partes plurimùm decorauit. Vnde cum postea Constantienses se se Austria cis dedidissent, hic Georgius post Poluilerum in ea ciuitate præfectus Austriacus constitutus fuit. Eam prouinciam per aliquot annos ibidem magna laude obtinuit. Tanta enim animi moderatione res ibi moderatus est, ut ciuibus gratissimus fuerit, qui etiam exteris eius uirtutes summopere prædicarunt. id quod etiam anno salutis humanæ millesimo quingentesimo sexage simo quinto mihi ibidem contigit. Verum cum hoc modo egregie pergeret, eodem anno moritur, atque magno totius ciuitatis luctu honorifice terræ man datur. Anon.